



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Pavlinvs Episcopvs. 22. Junii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

re, certe quidem animo & voluntate,

2. Corpus suum Deo consecravit castitatis voto, quod admissus in Societatem confirmavit. Angelicæ puritatis æmulus, mirum quantum modestus erat. Mulieris vultum nunquam aspexit, Accedebat immisericors & assidua corporis afflictatio. Qui corpus suum Christo dicare voluerit, quasi hostiam viventem & sanctam, cohibeat sensus, studeat mortificationi, necesse est. *Tota Christiani vita crux est & martyrium.* Aug.

3. Obedientiæ voto suam Deo vovit libertatem. Quantis nunc honoribus tum in Cœlis, tum in terris afficitur, quod olim honores spreverit? Non tuiori viâ itur ad cœlum, quam obedientiæ. Obedias tibi, Præpositis fideliter, statim, sine murmuratione, quasi Christo, qui præmium datus est. Memineris, quod non modò Religiosorum, sed & omnium Corpora fidelium, sunt hostia Dei, membra Christi, templa spiritu sancti. Aug.

## S. PAULINVS EPISCOPVS.

22. Junii.

*Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures luscri facerem.* i. ad Cor. 9.

**N**ovam artem PAULINUS docuit; etiam cum

cum nihil est, egenis tamen aliquid dare.  
 Cum enim in amplissima natus familia at-  
 que ditissima, quam vocem Christi Ado-  
 lesiens Evangelicus non audiit, hic audisset  
 & in pauperes omnes opes erogasset, Anti-  
 stes dein Nolanus etiam, cum Wandalo-  
 rum incursionibus Italia infestaretur, om-  
 nes redditus captivis in libertatem afferendis  
 contulisset, jamque nihil suppetere videre-  
 tur unde unam spem viduæ Filium redime-  
 ret: ingeniosus se ipsum servum fœminæ  
 addixit, quæ abductum in Africam cum fi-  
 lio scilicet permutavit. Ibi Regis sacerorum  
 cuius hortos curabat, de morte regis com-  
 monuit. Hic accessit ubi vidit, illum  
 ipsum esse exclamavit, quem nuper inter  
 cœli tribunalia conspicuum habuisset, qui-  
 que flagellum, quod ad castiganda orbis  
 scelerâ quondam acceperat, è manu rapu-  
 isset: quare & ipsum & cum eo omnes vin-  
 ctos Nolanos manu misit, navésqne in do-  
 num frumentarias complures addidit. No-  
 lam igitur ingressus pulchrum de servitute  
 triumphum egit, pluribus eum civibus,  
 quam Scipionem pileatis sequentibus. Sed  
 liber animus corporis adhuc ergastulo clau-  
 sus tenebatur. Tandem Anno CCC. XXXI.  
 hic

hic etiam vindicias secundum libertatem à morte accepit. At nunc Nola, imò Italia iterum captam se putavit, libertatis suæ auctore amissio, Ex Dial. S. Greg.

## MEDITATIO

*De charitate in Proximum.*

1. PAULINUS proximum amavit plus quam se, quippe quem maluerit liberum esse, quam se ipsum. Minimare tantam charitatem. Amaret proximum sicut te ipsum: cum famæ, cum rebus ejus libenter consule, eadem demum ipsi facias, quæ tibi fieri velles. An de te dici potest, quod de primigeniis Christianis? Vide ut invicem se diligant, ut & pro alterutro mori sint parati. Tertul.

2. Ingenito tibi tui ipsius amore extollis facta tua, nec arbitraris, in illis quidquam esse vitii; quod si vitium aliquod in iis deprehendatur, statim excusationis velum prætendis: te demum amas in omnibus; idem præsta proximo: placeat tibi, quod facit: velles homines cæcos, & mutos, si quando peccasti; esne tu cæcus, aut mutus, si quando peccarunt?

3. Tuus in proximum amor neminem excludat, necesse est. Omnes ad Dei imaginem sunt facti, omnes Christi sanguine redempti, omnes itaque amare debes, Christianus amor pendere non debet ex ingenio & arbitrio: is enim amor est profus naturalis, quem nullum in cœlo manet præmium,

um, S. PAULINUS fit mancipium, ut obscurum  
hominem asserat in libertatem. Nescit ( ait ipse  
PAULINUS ) nostra Religio personas accipere, nec con-  
ditiones hominum, sed animas inspicit singulorum.

## S. M A R I A

### OEGNIACENSIS.

23. Junii.

*Cum vadis cum adversario tuo ad  
Principem, in viâ da operam li-  
berari ab illo, ne forte trahat te  
ad judicem, & Iudex tradat ex-  
actori, & exactor mittat te in  
carcerem: dico tibi non exies in-  
de donec etiam novissimum mi-  
nutum reddas. Luc. 13. v. 38.*

**E**X amplissimo virtutum MARIAE OEG-  
NIACENSIS viridario, flores omnes præter  
Virginitatis lilyum licet carpere. Hoc enī  
illi parentum importunitas invidit, qui in-  
vitam nuptiis illigārunt: quarum vix libato  
usu, marito contingiam persuasit, magna  
Christi